



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator  
communiter resurget ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 1. Quo sensu Deus Gratiae suae adjutorium ad Conversionem  
necessarium paratus est cuilibet exhibere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## 136 CONVERSIO

*Circa finem* tatem , nec ipse Auctor debuit ignorasse : & morientes quippe , ut oportet pœnitentes paratus est Deus in gratiam recipere . Verissime enim Demetriano dicebat S. Cyprianus : *In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est . Patet ad indulgentiam Dei aditus , & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est . Tu sub ipso licet exitu & vita temporalis occasu , pro delictis roges , & Deum , qui unus & verus est , confessione & fide agnitionis ejus implores : venia confitenti datur , & credenti , indulgentia salvatoris de divina pietate conceditur & ad immortalitem sub ipsa morte transitur : confitetur tamen Appendix , & ex Scripturis & Patribus constare dicit , plurimis morientium sub vita exitum pœnitentiæ gratiam denegari .*

## §. I.

*Quo sensu Deus Gratiæ suæ adjutorium ad Conversionem necessarium paratus est cuilibet exhibere .*

**A**lio tamen sensu inficiari nolim , paratum Deum Gratiæ suæ adjutorium ad Conversionem necessarium , cuilibet exhibere : nempe legitimè , & ut oportet petenti , quærenti , atque pulsanti :

santi. Nisi enim paratus esset, non hor-  
taretur ad petendum: si tamen, quidquid  
dare paratus est, citò & leviter petenti  
concederet; pauperis Vidae, & impor-  
tuni Amici Parabolis non indiceret no-  
bis orationis instantiam & perseveran-  
tiam. Peccator verò adhuc pravis con-  
cupiscentiis deditus conversionem suam  
aut non appetit, aut non nisi infirmo de-  
siderio, ac per hoc necessarium ad illam  
Dei adjutorium, in ejus bonitate petenti-  
bus præparatum, aut non petit, aut non  
nisi imperfectè; ut jam mirum minimè  
sit, magnum illud pœnitentiæ ac con-  
versionis donum non citò aut facilè ei  
concedi.

## §. II.

*Paucos quosdam Deus extraordinario modo  
prævenit.*

**S**Ubindè quidem peccatoris inquisi-  
tionem prævenit Deus, & mirabili  
gratiæ suæ operatione bonam volunta-  
tem, quâ debitè convertatur, non expe-  
ctatâ profectûm morâ, simul & donat  
& perficit. Hoc in Matthæo, Latrone,  
Paulo actum miramur: sed id superabun-  
dantis gratiæ est, paucis datæ, quæ nisi  
le-